

ESTICA
A. 5085

44.

203

869

1/2 h 08

Utrinq; numen invocetur interim.

Victoriâ aut beemur, aut pulchrâ nece.

Hæc præfatus Brunbergam obsidione liberandam petit, Polonus vero percussus & attonitus solo nuntio superstitis jam jamq; adventantis Regis vultum ejus haud tulit, sed certâ suâ spe decidens turpi fugâ salutem consuluit.

Conclusio,

Et hæc habui, Auditores Spectatissimi, quæ pro tempore & ingenioli mei penso dicerem de revoluta periodo bellorum Gothorum extra patriam. Reliquum nunc est, ut quemadmodum omnes aqua ad mare unde venerunt, iterum resuunt: ita D. T. O. Maximo cujus omnipotentia & clementi gratiâ tanta patriare nobis concessum est, convenit cumulatè, & ut ita loqui hic liceat, cum favore gratias remittere, atq; reddere. Non taliter fecit omninationi, nec eadem rerum suarum securitate nunc omnes gaudent quâ nos, qui sub clypeo tot, tantarumq; victoriarum domi nostra securi delitescimus. Piâ etiam, imò piissimâ & humilimâ veneratione agnoscendum est, quòd Deus Potentissimum GUSTAVUM ADOLPHUM, Ducem tanta molis parem, cui in negotio labor, in periculo fortitudo, in agendo industria, in conficiendo celeritas adest, his patria nostra malis & afflictâ Ecclesiâ acerrimum defensorem benignè largitus sit. Ducum enim virtus totum exercitum ad eandem stetit:

Scilicet in vulgus manant exempla Regentum, Utq; Ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Te, Deus celsissime, ardentibus etiam votis oro & obtestor, ut de cætero velis S. R. M. rem conservare, protegere atq; tueri, ut florentissimo huic Regno incolumitas, Ecclesiâ Dei intemerata pietas & literis suum constet Decus.

D I X I,

GRATULATIO

5.

O B
VICTORIAM IN CAMPO
LIPSENSI DE HOSTIBUS EVAN-

gelici nominis die 7. Septemb. Anni 1631. cum stupore totius Europæi orbis reportatam,
Auspicio Divino, Virtute

Invictissimi Potentissimiq; Principis,

DN. GUSTAVI
ADOLPHI,

SUECORUM, GOTHORUM, WANDALORUM
Regis, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, Ingriæque Domini etc.

EVANGELICORUM CAMPIDUCIS ET GENERALIS,
veræ Religionis ac Svecanæ libertatis acerrimi propugnatoris, Victoris gloriosissimi, Triumphatoris inclyti ac semper Augusti, Domini ac Regis sui Clementissimi.

I N

Regiâ Suecorum SALANA, d. 25. Novemb. ejusdem Anni, præsentibus omnibus Reip. ibidem Literariæ ordinibus,

DEO, REGI, PATRIÆQUE

Facta ab

Illustrissimi Suecorum Cancellarij,

DN. AXELII OXENSTIERNÆ,

Alumno,

PETRO SMALTZIO OREBROENSE

SVEGO.

UPSALIÆ, typis WALLIANIS,
Excudebat PETRUS E. WALD.



Illustissimo & Excellentissimo Heroi,
Dn. AXELIO OXENSTIERNA,
L. B. in Kijmito, Domino de Fibholm & Tijdöön, Equiti Au-
rato. Potentissimi Suecorum Regis, Regnorumq; ejus Se-
natori ac Cancellario supremo, ad exercitum in Borus-
siâ Legato, ibidemq; partium S. R. M. ti Subiectarum
Gubernatori Generali etc. Domino suo Beni-
gnissimo, Salutem & felicitatem.

O Ratio, quâ ante semestre temporis in Salanâ hæc nostrâ, Victoriâ
Severissimi Regis nostri de Tjllio gloriose triumphantis, Patriæ gra-
tulatus sum, ea nunc perillustri Domine, inscripto sibi Ill. mo no-
mine V. ro in publicum prodit. Fuit quidem animus eam velut implu-
mem adhuc pullam caecâ nidove continere, nisi ipsa tenebras perosa tam
miserè cupivisset authorem suum ostendere populo, ac novitate materiæ ve-
lut lenocinio sibi captare suffragia. Igitur proprijs auspicijs ire eam jussi,
meum quoniam imperium abnuere jam ceperat; monitam tamen serio, præ
omnibus alijs animû sibi Ill. mæ Dignitatis V. ræ providè aptaret, ne exuta
novitatis gratiâ, ab interpretibus malignis incommodè exciperetur. Proin-
dè ad almos pedes vestros meo jussu festinabunda properat, futura etiam
sub umbrâ Dignitatis V. ræ salva & incolumis. Nec tantæ causæ fidu-
ciæ hæc referre attinet, cum istâc cõmemoratione palam facerem electioni
fuisse apud me locum. Accipientur alijs captiosis ratiocinationibus Ma-
gnatum animos, meæ certè fiducia favoris vestri, etiam dubitatio non sat
conveniens videtur. Nec poterit Ill. mæ G. tis V. ræ factam hæc Orato-
rium clientis sui, abortivum licet, ac sibi imparem aspernari, cum Ill. mæ
Dignitati V. ræ (ut sic loquar) velut auctoriâ me commendetur. Fuit
enim ex mandato Ill. mæ G. tis V. ræ, mihi è Borussia redunti, si modo sua
Præceptioni deberet constare fides, aliquid hæc tyrocinij edendum. Selegi
ergo materiem Orationi, non quâ ostentare me ac venditare possem, (cum
agnatum solis id erectioribus ingenij sit vitium, quorum in numero me
quisquam facîle non consebit) sed quâ sudarem tamen, cum virtutem ni-
hil magis quàm ancipitia commendant: Fastidiosus enim argutiarum æ-
sima-

*Stimator animus turpe ducebat umbratili rei vel obvia laborare. Ex eo
 tiq, quem fama victoria maximi Regum Gustavi nostri campum dicendi
 aperuit, in tanta ingeniorum felicitate id solum delibare voluis, quod de
 praegressis contra patriam Ferdinandi machinationibus mihi aliquid jam
 parturienti, commodum v' debatur. Vastum sane pelagus pontificia fraudis
 cui ex dignitate trauciendo, vix captus privati hominis suffecerit. Ego
 hic nihil ne tetavi quidem, nisi digere sine curiosa temporum observatio-
 ne (nec enim historiam componebam) quaecumq; memoria fallax suppilata
 aliunde suggererit, usq; ex olende tantum facundia, non exulta spe-
 cimen dare. Hoc autem quicquid est confarcinati operis, testimonijs et-
 jam fulsi, ne quid a Scholastici moris imitatione cessasse viderer si nihil al-
 legassem, nam omnino apud imperitos laboratura esset dictorum fides,
 nisi forte prudentia vestra, & ipsa fulcimenta, imo quicquid a me dictum
 est, nugae putaverit, vel si quid dixisse existimatus sim, ubi ego causae ju-
 gulum statuerim, illa talum esse, tibiam, aut genu videat. Sed videat licet
 mihi tam imperito & jejuno gratulatori adversum eos, quibus omnia no-
 visse datum, effugij nihil reliqui est. Spero tamen duros veniam dice-
 re sententiam conanti (quod de Catone affirmat Cicero) non ut senatori de
 Repub. Platonis, sed tanquam Togatulo ex faece Romuli. Quae ratio, si
 nugae hasce meas Ill. mae Dignitati V. rae poterit approbare vel excusare
 saltem, erit quo ex labore abunde me fructus tulisse sentiam; sin minus,
 obsecro patiaris tamen Domine, hunc Hominem suae, id est pullatae, si possit
 tamen, gentis demereri plausum. Haec mei ratio fuit instituti. Tu vale
 magne Heros, Columen Regis ac Patriae, Sueciani nominis decus, meq; pa-
 trocinio ac favore solito, & tenne hoc gratulantis animi obsequium expe-
 ctata Lectione tua dignare. Praesidium orationi quoq; sollicitius orarem,
 nisi me spes obtentaret, ab injuria eam, praefixo sibi Augusto GUSTAVI
 nostri nomine, vindicatum iri. Dab. Upsaliae Suecorum Calendae
 Aprilis, Anni M DC XXXII.*

Ill. mae Dignitati V. rae
 devotissimus,

P. SMALTZII



Reverendissime in Christo Pater, Domine
 D. KENICI, Suecici Regni Archiepis-
 cope, Sacrorum Antistes, & Academiae hujus
 Procancellarie eminentissime, Magnifice &
 Amplissime Domine Rector, Illustres & Gene-
 rosi Domini Barones, Reverendi & Excellen-
 tissimi Domini Doctores Theologi, Consultif-
 simi, Experientissimi, Clarissimi reliquarum
 facultatum Professores, Generosi Domini No-
 biles, Clarissimi & Praestantissimi Domini
 Magistri, Erudita Studiosorum corona, pecto-
 ra generosa ad laudem & decus nata.

Luxit nobis tandem auspiciatus ille, ac toti E-
 vangelico orbi desideratus effuse dies; Tan-
 dem orta lux est, qua fugitiva illa ac averfa
 crudelium Tyrannorum, vitae ac sanguini nostro in-
 hiantium perpetuo, terga videre licuit; Tandem ex-
 oratus Divine Deus nostris affuisti votis, serialq;
 tuorum preces propitius tandem respexisti. O ad-
 miranda Divinae bonitatis clementia; infallibilis pro-
 missorum certitudo. O Magnae, ingentis ac immen-
 sae serenitatis dies, interiturae nusquam memo-
 riae causa aternitati fastorum inferende, & ad o-
 mnem retro mittende posteritatem. Neq; n. possum
 gloriosa & Eminentis authoritatis viri, neq; enim
 possum inquam, imperare animo meo, quin vel in
 exorsu orationis meae exclamem, cum vocis silen-
 tium.

tium exuberantis lætitiæ affectus, rei; ipsius meditatio magnitudo victrici ratione antevertat. Mulier Romana, filium ex Thrasymenâ clade, cum mortuum credidisset, inopinanti sibi obviam, subitaneâ ob affectus intemperantiam morte profecta est. Quid nobis ob imperatam tam læti nūcij famam animi esse debet, si affectuum vim ac rationem ad prosperitatis ipsius abundantem felicitatem exigamus; profecto tempus esse existimo, quo nobis ipsis spiritus nostri, si liceret, gratificemur impendium, ne vita aliqua hoc gaudium intervenienti contaminet ægritudine. Ac certè non immerito; nam si tanto annorum decursu quot hostes tulerint palmas æstimemus, si ex tantâ successuum felicitate conceptam animis ipsorum arrogantiam, tum deniq; quâ victoriarum serie ad hodiernum stupendæ illud potentiæ robur accreverint, si paulò altius meditatione revolvamus; simul perpendentes recentem hanc, ac post primæ evangelicæ jacta religionis fundamenta, maximam victoriam, auxilio Divino, sub auspicijs invictissimi Regis nostri **G U S T A V I A D O L P H I** partam; Existimo omnes quos vel aliqua status Evangelici orbis tangat cura, superfundenti se lætitiæ vix temperaturos, multo minus ut tantum gaudium in arcana possint exultationis conscientiam coercere. Igitur in hoc solenni gentis nostræ triumphatu, ne sola publici gaudij linqueretur exors nostra hæc Academia, si non præ alijs, at inter alios mearum esse partium, nec meis alienum institutis duxi, in celeberrimo hoc vestro patres Academici, concessu, si cum gratiâ fieri possit, alti silentij prævenire culpam, paupertini licet hac sermo-
nis ele-

nis elegantia. Unius tantum criminis culpam meruisse interim, æquis etiam fortè censoribus videri possum. Quod non adhuc positis dicendi rudimentis ausus fuerim, materiam suscipere viribus meis, incultoq; huic sermonis generi amplitudine suâ longè antistantem; minimèq; verecundatus sim, tyrunculus eloquentiæ, dicendi provinciam robustissimi cujusque viribus præponderantem ingredi, imò præsumserim animo in materiâ etiam adultis onerosâ, facundiæ experimentum capere. Juvabit sanè communi & me ipsum lætitiæ pro viribus consuluisse, si hoc tantillum culpæ justâ possim deprecatione purgare. Non enim alia facile suppetit excusationis ratio, quâ ipse tantæ mihi arrogantiam conscius, ab insectatione ejus, & vos, & famam avertere queo, nisi hanc mihi licuerit audaciam officio interpretari, gloriâq; obsequij velare temeritatem. Ac licet dotata nō sit phaleratis sermonibus lingua, nec splendenti quodam eloquio velut pretioso colore queat vestros capere animos specie formosi; tamen de gratiâ Orationis, respectu favoris vestri subnixa, mea dicendi hæc infantia non desperat. Ingenuè quoque fateor mihi curæ nō fuisse, ut adhibitis Tullianis orationum delicijs ac floribus, auribus vestris ornatâ modulationum congerie blandirer; deprehendi & ipsa, Numina non tam precibus adorantium præmeditato ornatus genere cultis, atq; pietate ac sinceritate latari; ita debere me in hâc solenni gratulationis devotione, omnia verborum lenocinia tanquam à gravitate rerum aliena, insuper habere. Dabit modò benignitas vestra facilem veniam sermoni indilertotitubanti, imò labenti sub onere admirationis. At
apud

*Auditor
suam Re-
gi orator
ser auda-
citer* apud te potentissime ac Gloriosissime princeps,
Dominus GUSTAVE ADOLPHE, Suecorum,
Gothorum, Vandalorum Rex, Magne Princeps
Finlandia, Dux Esthonia, Carelia, Ingriae Domine,
Domine mi ac Rex Clementissime (quamvis n. lon-
gè absis, praesentem tamen mihi videor intueri;) A-
pud te inquam, quae impudentiae temeritatiq; meae
obtentui sumam, nequeo satis discernere; Quippe
speciem praese fert oratio mea laudum tuarum,
quae si ad mensuram fastigij tui meritiq; exigantur,
quum omnes majorum etiam gentium oratores vix
tantae molis pares sint futuri, quam sollicitas putan-
dum est divinas glorias tuas, profani huius ac hor-
ridi styli reformidare contactum. Sed cum in gra-
tulatione tam solenni totius Evangelici nominis, vo-
tivis precibus & acclamationibus, quam cultu verbo-
rum & viribus Ingenij certare, convenientius sit; fa-
cile pietas illa tua apud se statuet, pio huic humilis li-
cet, attamen devotae mentis proposito veniam dan-
dam, licet summum illum Majestatis apicem adaequa-
re non possit verbis. Nam oportet de supremo ali-
quid culmine decedere patiaris, ut confidentiam tri-
buas tam impari facundiae te compellandi. Clarius
si potero dicam quod sentio: tantum tu magne Rex
principes non huius solum, verum omnis aevi virtute
praegressus es; & e contra, tantum hoc seculo pristin-
us ille sermonis nitor degeneravit, ut si praecones
virtutum, nominisq; praedicatores admissurus non
sis nisi respondentis eloquentiae, nae tu paucos tantae
audaciae reperias, qui paria se rebus gestis tuis allatu-
ros praesumant: Misera sane & iniqua magnae vir-
tutis conditio, quis negat? Sed cogeres GUSTAVE

*Amplius
de Gusta-
viana
laude.*

(si mo-

(si modo fas sit ita loqui) unum quasi regem exuere,
ut possit alter in te laudari. Ego id solum sermoni
meo adhibere temperamentum laborabo, ut laudi-
bus tuis sua constante veneratione, indicia quoq; de-
voti tibi animi appareant: Relicturus uberiorem,
earum tractationem ingenijs ijs, quibus cum autho-
ritate datum res gestas tuas sibi non tantum de facie
notas, praestantiori facundia, ac felicitatem styli sup-
pari dignitate condire. Tantum permittas quaeso
Domine, ut pro majori victoriae hujus dignitate, li-
ceat hostium tuorum mirandae illius Catholicae Ligae
potentiam, fortunatosq; successus Ferdinandi paucis
admirari; & simul eas tot annorum Machinationes,
quae rerum eventu ac parente veritatis tempore de-
tectae sunt (quantum haec sacra notitia sua privatum
hoc meum pectus dignantur) leviter adumbrare.
Profitetur me in id solum fore intentum, ut praedi-
canda Divini Numinis consiliorum horum rectrix
sapientia, conpectius elucescat: ac omnibus ad ce-
lebrationem ejus relatis, enitar sermonis mei mode-
stiam ad solitam Majestati tuae in praerpendam gloriae
moderationem submittere. Vos autem praecientes
gratulationis meae Auditores, ut sine attentionis in-
vitamento non dimittam; Cogitate alias ostentatri-
cem illam sui facundam esse latitiam, clausiq; an-
gustias pectoris solere aspernari. Ac licet nihil sit,
quasi tamen antiquae quid novitatis audituri ad-
vertite animum, & reliqua orationis obstacula pro
suo quisque favore benigni, intentiq; submovete.
Quod ut faciatis materiae magis quam dicentis in-
specta conditione, non tam vehementer moneo
quam precibus supplex obtestor venerorque.

*Propos-
tio.*

B

Poten-

Potentia
Catholi-
corum
major
quam o-
lim.

Potentiam igitur vobis Catholicam præcel-
lentes Academici Patres, expositurus (huc enim ora-
tionis meæ initio divertere placet) non multâ exem-
plorum verborumq; congerie diem eximam, cum
insinuari à me tam prudentibus viris, tam perspicua
res, non probari debeat. Ac licet tanta semper ea
fuerit etiam seculo priori, ut impune eam laessere
hactenus nemo, contemnere nullus mortalium un-
quam fuerit ausus: si tamen ad collationem rerum
& præteritarum & presentium animos paulisper ac-
comodemus, apparebit certè cõfestim, post primor-
dia reformatæ Religionis ac tempora CAROLI V.
tantas Catholicæ factionis vires nusquam extitisse,
atque hodierna Ligistarum (sic namq; appellant) u-
nita conspiratio, in mutui auxiliij constructa fœdus,
protulerit. Mirari sanè ac stupere miratione ne-
cesse est, cogitatem virium potentiam, inquam
præcipua illa totius Europæ capita hoc aliquot an-
norum excursu peculiariter effloruerint. Quorum
eiusq; speciatim vires oratione persequi supervaca-
neum est, summa tantum sancti h. Dijs placet, fœderis
membra, appellatione sumi indigitaturus, facile exi-
stimans quemq; apud se Auditorum insinuato nomi-
ne, pro sua prudentiâ de singulorum viribus statutu-
rum. Primus agminis coryphaeus ac ductor, hujusq;
belliferae ac toba est ULRIANUS Papa VIII. hodiernus
Ecclesiæ Romanæ Pontifex, sanctæq; illius sedis
Apostolicæ defensor & custos perquam industrius.
Hujus suffragator sive potius Patrum succellatorum
mancipium est FERDINANDUS II. Romanorum
Imperator. 3. PHILIPPUS IV. Hispaniarum Rex.
4. SIGISMUNDUS III. Poloniae Rex. 5. Germa-
na pa-

Æstimã
dæ ex vi-
ribus Pyra-
cipalium
ligæ.

na patris soboles, FERDINANDUS III. Romano-
rum Imperatoris filius, Designatus Hungariæ & Bo-
hemiæ Rex. 6. JOHANNES SVICKARDUS Ar-
chiepiscopus & Elector Moguntinus. 7. PHILIP-
PUS CHRISTOPHERUS Archiepiscopus & Elector
Trevirensis. 8. FERDINANDUS Archiepiscopus
& Elector Coloniensis. 9. MAXIMILIANUS Prin-
ceps Elector & Dux Bavariæ, Generalis exercituum
Catholicorum Imperator. Deindè CLARA EUGE-
NIA ISABELLA, ALBERTUS, LEOPOLDUS,
CAROLUS, Archiduces ac Membra Domus Austria-
cæ: Tum deniq; Reliqui ITALIÆ, GERMANIÆq;
Principes ac Status, Liga nomine ac conspirationis
vinculo comprehensi. Ab hac tanta potentium u-
niversim catervâ, ab his singulis, ab eorum quoque
majoribus & antecessoribus diu ac jugiter agitatum
est, quâ ratione ea tandem regna, quæ post accen-
sam in Germaniâ purioris Evangelij facem, plus-
quam servile illud pôtificatus jugum mox excussere,
ad pristinam obsequij formulam possent reduci.
Nulquam tamen id ante hæc tempora tantâ animo-
rum studiorumq; intentione acitatum vel legimus,
vel audivimus; ita ut omnes omnium consiliorum a-
ctus & executiones in hujusce spatium temporis re-
servata, jam tandem in perniciem orbis evangelici,
refractis quasi claustris erupisse videantur. Separatim
eorum erat antea potentia robur ac dissipatum,
dum hoc bello, sociorum ille, alter alio continenter
occuparetur. Imperatoribus ipsis varia objecta sunt
præpedimenta, quæ intervenire, ut opes animosque
in unum ad exterminandos nos conferre, sapius ve-
tarentur. Carolus V. extirpationem tentavit, sed
B 2 succes-

successu irrito: Ferdinandus I. recenti tum transal-
tine Passaviensi detentus est: Maximilianus, Ru-
dolphus, Matthias inter alios bellorum motus expe-
ditionibus etiam Turcicis plerumq; distinebantur; ni-
si quod posteriores duo, avertentes curas a communi
Christianitatis hoste, Christianos nos infensi aliquan-
do respicerent: sed utinam respexissent tantum.
Nunc v. nusquam ante libatis viribus, universi mutuo
cōspiratu in societatem auxiliumq; comūne arctissi-
mē colligati, se armis suis velut quodam diluvio orbi
Evangelico superfuderunt. Ut ita ex hac tam con-
gruenti studiorum animorumq; consensione, certis-
simus Evangelicis interitus fuisset sperandus, nisi a-
liam jam fata invenissent viam, quā desperata fer-
mē salutis nostrae amica consulerent.

*Cujus co-
ragus
Ferdin-
andus.*

Præcipuus verò cujus sub auspicio tanta res ge-
ritur, est Ferdinandus Germanorum Imperator, cujus
insignem potentiam multis quid memorare opus?
cū tantas de hostibus reportaverit victorias, totq;
annorum continuā felicitate sic emicuerit, ut fortuna
constantis afflatu non tam uti quam frui visus sit;
meritoq; de ipso usurpaverit verba Author Scenæ
Europæ, ipsum de se sic loquentem introducens.

Evenit nobis voto victoria major,

Plurag, quam petij fors, Deusq; dedit.

Quod nullo licuit pacto sperare nec arte,

Hoc nunc victrici consequor ensis epe.

Me nunc accendit palmæ majoris imago,

Successus spondet gloria parta novos.

Pulchra meos oculos animosq; occasio tollit,

Quam fortuna viam monstrat ami. a se. uar.

Jam tempus pleno spatiosa per æquora cursu

ire manet, jam me jabra secunda vocant.

reflex

Testes ingentium victoriarum habet, plurimas Re- *Bellator
felix.*
giones ac provincias antehac militarem ejus furo-
rem adusq; internecionem expertas. Testatur,
duplici clade afflictâ Bohemia; primum sub Regio
ejus regimine immani vastatione ac Tyrannicâ de-
solatione attrita; postmodum devicto Rege Frede-
rico Palatino, ac obtentâ victoriâ Pragenſi, sub ju-
gum missa. Testatur Hungaria exinanita, Silesia,
cum Moravia occupata, subacta expulsis Prin-
cipibus Pomerania; ac deniq; testatur DANUS, ad ingloriam
fermē pacis emendicationem compulsus. Quibus *Inferno
libertate
German-
nica.*
omnibus everſorem Germanicæ libertatis animi in
suum toti abundè orbi comprobavit. Quid enim
quæso post primordia adeptæ sine populi suffragio
imperiosæ illius Dictaturæ, tam studiosè egit ac
molitus est, quam socios adversæ sibi Religionis
invicem dissociare, alterum dum alter opprimeretur
delinificis verbis lactare, ex unâ provinciâ in aliam,
vagabundis armis grassari, præcipuè v. Saxonem ab
auxilio socijs ferendo sollicitè, lactantibus semper de-
linimentis revocare: omnia interim circumquaque
occupare, parare, conari, quibus & ipse post longam
animi suspensionem labentibus cunctis, haudqua-
quam parva, tam ingentis ruinæ mox fieret accessio.
Quid hæc sibi præludia, quò spectarunt? nisi ut illa
tandem aurea Germaniæ libertas convulsa, perpe-
tuo Domus Austriacæ jugo subderetur; imò quò li-
berum ac tot imperatorum ordinumq; decretis invi-
cem firmatum Religionis exercitium tolleretur,
mentesque nostræ detestandis iterum papalium te-
nebrarum involucris manciparentur. Meministi
Ferdinande Caesar consilia subjugandæ Germaniæ ab
B 3 Imp.

Caroli V
emula-
tor in bel-
lo Religi-
onis.

Imp. Carolo V. fuisse agitata. Adnitebatur is singulari contra Evangelicos suscepta expeditione, armata vi edictum Wormaciense de reformandis vel pellendis imperio Lutheranis, jam annis ferme 15. ob ingruentes bellorum tempestates suspensum, tandem mandare executioni; nefariae intentioni, vindictae de principum quorundam ac ordinum perfidia sumenda speciem obtendebat. Cum hoc abavi tui fratre, nescio quomodo consiliorum emulationem esse tibi voluisti. Nonne tu vestigijs ejus insistens, inceptum ab ipso scenae actum mutato nomine pertendis? nonne Religionis reformandae instituto, velum similiter rebellionis vindictam facis? nonne miserimis Bohemiae ac Palatini cladibus conspirationis culpam praetexis? Dicerem te sane totam Carolinae indolis effigiem miram similitudine excelsissimam, nisi inter vos duae res discriminis copiam facerent.

Specie
pietatis
religiosior.

Primum ipse Carolus omnia belli munia praesens obibat, sedulus officij castrensem militiam bellici laboris operibus indefessus colebat. Tu pius magis intentionis, crebris rerum sacrarum obeundarum avocamentis distineris, quo minus bellorum molestijs intersis; piaculum iudicans omni gravius piaculo, religiosas manus tuas contagio humani sanguinis inquinari. Pietatis tuae religionem nobis carmine nominati auctoris Scenae Europaeae loquaris.

Ille quidem (sc. Carolus) belli curas exercuit ipse,

Et praesens obijt munia cuncta Ducis.

Ast ego non pugnis non adsum caedibus ipse,

Pro me qui pugnent do facioq. Ducis.

Hinc pia sacra domi perago, manibusq. supinis.

Ad mea propensos invoco vota Deos.

Nam

Nam cum funigeris accedo fratribus aras,

Cum Jesu socijs sancta sacella colo.

Praelia plura tu. gessi quam Carolus olim,

Hostibus eq. meis plura trophaea tuli.

Alteram discriminis notam disparitas animorum subministrat; Nam ad quae ille tyrannidis exercitia in subditos devictosq. mitioris ingenij facilitate corruptus non susceperit, ea tu obvientis inde incommodi experimento ejus edoctus, avidam ferocitate perpetrare sustinuisti. Quippe notaveras forte Cleonis illud apud Thucydidem (& in eo Carolinae vestigia premeas, cum & ipse eiusdem historiam iterata lectionis diligentiam percurrisse feratur) dicentis; nihil tam esse nocivum imperijs atq; misericordiam & indulgentiam. Diligentem te praeeptionis observatorem fuisse commemores ipse.

re pfa tn.
Carolo
crude-
lior.

Carolus e nostris primus majoribus ausus

Teutoniam proceres iussa docere pati!

Imperium voluit belli sibi quaerere iure,

Europamq. novo supposuisse iugo.

Illius idcirco merito celebrantur honores;

At tamen haud possunt equiparare meos.

Nam tandem infelix ingentibus excidit ausus,

Et non absolvit quod bene cepit opus.

Vincere callebat sed palma nescit xii,

In victos hostes ira remissa nocet.

Ast ego non solum Germanos vincere novus,

Sed quoq. partiarum commoditate frui.

Quod non ille suo potuit finire labore,

Hac mea audaci perficit ense labor.

Demiror sane quae res animum tuum tam longe alias remotum a rabie bellorum, tanta tamen immunitatis potuerit implere. Filij Martis (tuae videlicet Catho-

Catho-

*Causa &
Natura
& Reli-
gio.*

Catholicae factionis) si penitus medullis sanguinis hu-
mani flagrent siti, quid mirum? utpotè quibus cum
Annibale primus armorum fructus crudelitas sit, fe-
ritatemq; ingenerant feritatis exempla. Sed quam
illis truculentiam imponit assuetudo cultusq; Bello-
na, qua nisi cruore humano sibi litari non patitur;
eā tibi comendat efferatior natura, miseraq; neces-
sitas Religionis, quæ nullos admittit, nisi juratos fidei
clementiaq; hostes. Proinde praesagā mente omni-
bus te futurae tyrannidis observationibus à teneris
imbuebas; dignamq; imperator fastigio imperatorio
monitionem cupidus notasti, hausisti, servasti. Testes
solutae fidei habes immanes commemoratarum Re-
gionum, Bohemiae, Hungariae, Silesiae, Moraviae, Po-
meraniae devastationes, depopulationes, expilationes:
Recentis quoque testimonij dictionem tibi gra-
tificabitur si voles, feret etiam si non voles, inaudi-
ta ac ne Barbaris quidem hostibus usitata unquam,
Civitatis Magdeburgensis deploranda direptio ac de-
solatio; quæ tam diuturnam immanitatis tuæ geret
memoriam, usq; dum miserum posteris sui spectacu-
lum exhibebit. Hæc sunt sanguinariae mentis tuæ
indicia, hæc servatae doctrinae testimonia: his tu ita-
bilimentis potentiae tuæ vires firmasti, his rationibus
immentum Ligae Catholicae robur addidisti; in tan-
tam brevi magnitudinem excrecens, ut de oppri-
mendā Germaniā jam quasi certus, nihil absolutae
Dominationis complemento, nisi hæc septentrionis
Regna deesse tibi putares. Praecipue stimulavit avi-
ditatis tuæ intemperantiā Suecia hæc nostra, nobi-
lissima arctoi orbis Domina; cujus quò eminentio-
rem hic adverteras potentiam, tantò occultioribus
eam

*Ferme
certus de
subigen-
dā Ger-
maniā,
Sueciae
compedes
necit.*

eam cuniculis oppugnandam censuisti. Hujus Pa-
triae nostrae ad Pontificatus obedientiam reductio,
maximae semper curae & sollicitudini fuit Jesu, ut se fe-
rent, socijs; qui summi consiliorum tuorum arbitri
suo sibi merito censentur: Nec est quod ad imminatio-
nem tuæ Majestatis hoc affinxisse me credas? quam-
vis in hostem id quoque jus sit, mihi tamen hic non
tam cura tuæ dignitatis laedendae, quam studium di-
cendae veritatis. Audi si placet, illos ipsos Togatos
vultures de se gloriantes:

Quicquid agunt Reges per totum jugiter orbem,

Reges illi, ac non veriùs mancipia; sed intelli-
dum de Principibus ejusdem farinae, id est Catholici.

De his n. inquit,

Acceptum nobis fas ut id omne ferant.

*Nam cuncta in nostris specubus consulta coquuntur,
& nostro veniunt bella quiesq; penur.*

Hos ego arbitros dico, quos si Dominos tuos appel-
larem, vix tamen apto satis verbo tanti in te imperij
vim expresserim. Hi inquam, tam oculati Senatus
tui Praeules ac Rectores, jam diu hoc Saxamolve-
runt recuperandae Sueciae. Tentarunt id priori se-
culo, dum conabantur in septentrionales hæc Re-
giones, viribus Caroli V. reducere CHRISTIERNUM
illum beluam hominem, humani nihil habentem,
praeter faciem; sed fuit Dijs corde, ne expertum se-
mel Phalaridis illius imperium, ac virus tam noxij a-
nimalis iterum retentaremus. Tentarunt idem
2do, tempore Regis Suecorum JOHANNIS III, Li-
thurgicae pestis fucato veneno; verum intervertit
Deus successum tam nefariae intentionis. Tenta-
runt deniq; 3tio, non ita pridem per SIGISMUNDUM
nunc

*Ut olim
Jesuvita*

nunc Poloniae, tunc etiam electum Sueciae Regem, at infaustis ominibus sic disponente summo rerum arbitro, ut res ad palatum non succederet. Neque enim Sigismunde (liceat enim verbo alloqui) tantae rei negotium pari circumspectione suscepisti: causam a me quaris? ego tibi non dicam; hoc tamen ausim affirmare, si excussis omnium consiliorum oculis, providus magis ac occultus secretioribus Jesuuitarum artibus usus fuisses, haud tam facile tui te propositi ratio fefellisset. Sed de his uberius alibi, horret enim mihi animus obductas jam ferme diurnitate temporis veteres Reipublicae nostrae cicatrices, ulterioribus refricare. Tu vero Ferdinando admonitus, etiam tuam imperatoriam dignam rem sollicitudine existimasti; ac quamvis operosam effectu, tamen inde si pensitaretur gloria tua, suscipiendam duxisti. Ac ne quidem tam gloriae te quam necessitatis stimuli adigebant: videbas reliquis omnibus Evangelicis praestare SUECIAM, puritate Religionis, virtute armorum, fortissimo & vigilantissimo Rege, crescente indies potentiam facturo ingens aliquando incendium, nisi mature opprimeretur. Itaque ne dimidium quidem tibi corporis haeretici (sic enim tu appellare nos soles) cessasse, si caput linqueretur intactum; imo reliqui licet victi essent, subactos tamen haud fore, si hoc illis pateret suffugium, hic paratus protector, hic ultor. Suspecta proinde tibi semper fortuna optimi Regum GUSTAVI nostri fuit; mirum quam de causa? Ego sane (ut & meus conjector spiritus hic se tandem prodatur) verisimile duco, abdita factorum pari rependere voluisse. Nam, ut hoc obiter dicam, cum adeo ex hac re veniat in mentem

mih

*Ita nunc
Ferdinā-
dus praeci-
pue, va-
rijs de
causis.*

mih; quemadmodum memoriam Patrum nostrorum, Regi GUSTAVO Beatae memoriae Primo, Caroli Caesaris potentia & successus metuenda semper & formidabilia videbantur: ita fati imputandum, credo, quod Secundus hic noster, ejusdem cum illo nominis, tibi hujus aemulatori vicem reddiderit terroris, ac injecto velut terriculamento, tuae te potentiae praemetuere coegerit. Quot igitur tibi ac quantae usuvenerunt molitiones? ut unici hujus Sueci, tuae restatis Monarchiae cervicem adhuc indomitam, supponeres jugo; quot hic dolose consuta machinationes? quae secretius inita conspirationes fuerunt. Credibile est cucullatos tibi a consilijs Patres, tantae considerationis negotium per omnes omnium consiliorum ysaie gradus: solitum sibi morem exponant ipsi:

Ventus ut in pelago est, velum convertimus inde,

Consilium pro re sumimus atq; loco.

Electimus ingenium facilesq; ad tempora mores,

Induti semper duplici veste sumus.

Scilicet interior consuta ex pelle lupina,

Simplicis exterior vellere constat ovium.

Blanditias cum vi miscemus, & artibus arma,

Corde latet virus, mella sub ore fluunt.

Adverteras igitur primum SUECIAM terram inaccessam, nec posse terrestri itinere nos adiri, pracluso per Daniam aditu. Prima proinde tibi cura, Danum quaesitis praetextibus adoriri bello: Nec defuit occasio, ecce illum ultrò laceissentem? tu cupidus fata sequutus, haudquaquam boni arbitratus Ducis praebenti sese occasioni deesse; interim occupaturus bellum, nisi fuisses praeventus. Liberavit itaque te curam quarundam causa ipse, contra quem quaesivisti. Facile te potentiae tuae magnitudo persuasit, ut Regu-

lum

*Danum
aggredi-
tur.*

*Domi-
nium
Maris
Baltici
agitat,
occupatio
ne por-
tuum.*

lum posses, vel ad deditioem, vel saltem liberi in Sue-
ciam transitus concessionem, vel etiam adempto Re-
gni nervo freto Oeresundensi, patentioris in Sue-
ciam navigationis permissionem, compellere. Pro-
cessit intentio pulchrè dum ignarum artium tuarum
simulàs fugam insidijs circumvenisti, pralio vicisti,
Holsatiam victo, Dithmarschiam, Juthiam, eripuisti.
Altera apud te cura perpes excubabat, de po-
tendo Maris Balthici dominio, ut elasse advenièti
vel exscensum in terram Suecicam faceres, vel etiam
ad minimum perpetuis latrocinijs intestam Suecis
mare redderes. Huic instituto maximè commoda-
re portuum copiam existimasti; igitur tentata ar-
mis tuis civitates stationibus commoda, Rostochien-
sis & Wislariensis, ac mox subacta. Sola tibi utili-
tate portus opportuna restitit Stralesundia, quæ ul-
terioris defensionis ergò, praesidium Danicum attra-
xit. Interea tibi minimè opus fuit quiescere Stre-
cum, nè cursum actionum tuarum qua in re inhibe-
ret. Ademerat jam is Polonus Rigam cum precipua
Livoniae parte; itaq; tuo Polonus tuatu moras ne-
ctens, inducias ibidem firmandæ pacis causâ in an-
num pactas, merâ tergiversatione elusit; ac insuper
etiam irritâ pacificationis spe GUSTAVUM circumdu-
cere tentavit, usq; dum tibi maturis in Pomeraniâ
rebus opportunum foret, harentem in Livoniâ redi-
tu in Patriam inopinâ classe intervertere, & deinceps
sic destinata commodius exequi. Incredibile n. tibi
videbatur, posse tanto implicatos bello Streecos, quo
enervari eos vel vinci erat necessum, te interim alias
quali res agentem respicere, tantò min' quæ in re mo-
rari. Nec tibi defuere loci; ecce Gedanenses quoq;

COM;

conspirantes, immodicâ virum suarum fiduciâ, malis
etiam nostris quid allaborare Mercatores nituntur;
imò nec desisterunt ab incepto parandæ classis, pri-
quam Augustus ipse, perfecto jam Triumpho Livoni-
co, homines anno sequenti invisere, & Borussia
quoq; vincere cogeretur.

Horum Consiliorum tuorum, faciliori execu-
tioni commoditates subministravit, ipse rerum Eu-
ropæarum nexus, & ipsa ancillantis fortunæ necessi-
tas; imò ipsa fata constanti se tibi famulatio adstin-
xisse videntur. An dubitamus parùm profuisse ad
securiorem hujus negotij susceptionem, domesticas
ac intestinas tui alias perpetui hostis Turcæ seditio-
nes? Quis poterit ambigere quantum tibi oblatum,
sit commoda occasionis, cum intestinâ Regum ac
Statuum Europæ, tum invicem gliscète perpetim di-
scordiâ? Audiam' si placet Auditores, Catholicissimū
illū Hispaniæ Regem opportunitates Monarchia Au-
striacæ, jam diu à se quoq; agitata, pœnentē. Sic ille;

*Status
Europæ
opportu-
nus Mo-
narchia
Austria
cæ.*

Imperium nostrum tollit discordia Regum.

Illi pro nobis arma ministra gerunt.

Omnia Regna ruunt & sunt matura ruina.

Quis mihi nunc Regum se opposuisse potest.

Papa favere meis vel nolens cogitur ausis.

Italiae proceres & mea jussa sequi.

ipse sibi levam præscindit vindice dextrâ

Gallus, dum satagit perdere Martis suos.

Cum Regni ordinibus lites conduplicat Anglus.

Cum populo ac Regno deperente perit.

Debellata meo armis Germania supplex

Facta mihi est, pacem Dania victa petiti.

Suecus in officio Schytidum retinetur ab ense.

Attonitus spectat Belgæ rebellis armata.

C 8

Nos

Non audeat Dacus, non audent hiscere Rbelli,

Consilia Veneti nescia corde gerunt.

Hic status Europæ vires animumq; ministrat

Quid moror ergo? potest impedisse nihil.

Aut nunc aut nunquam Dominatum consequar orbis

Audendum est, fortes forsq; Deusq; juvant,

Vah quam hic malis alienis ingemiscit, nostrosq; humanus miseratur casus. Sed tritum jam illud, si violandum est jus, etiam humanitatis, regnandi solum gratia convenit, cæteris rebus pietatem colas. Ferdinandus a his adversitatibus nostris non solum non adgemit, quippe omnium nobis adversorum machinator; sed etiam quas potest dissidijs faces occultus & subdidit semper, & adhuc subdit. Nam fatetur ipse gloriabundus, dum infit:

Nostra videbatur cecidisse potentia per me:

Qui sic? parum n. Catholicus o Papæpor Urbano videbaris, ausus initio gubernationis Magno Cardinali Clefelio, trium Imp. Consiliario, vincula parare. Sed tantum facinus factis posterioribus satis superq; redemisti. Hinc addis,

Cum tamen hæc per me sit stabilita magni.

Verè stabilita, sed quibus artibus?

Unanimes Procere armavi in propria damna,

*Hinc solita est nostræ crescere fama Domus. Crescit,
qd indè? Quando cadit Cadmi per mutua prælia proles
Phrix ei, Jason pelle potitur ovis.*

Vah Lepus dormiens? gladium tu nobis dedisti, quo nos occideremus. O nos fungos & verè oves qui sumpsimus! nonnè tum corpus nobis sine pectore fuit. Sed hi homines quatenus alienis incommodis suorum adhuc expertes insultarent, optima vindex insolentia: varietas humana conditionis, sero
licet

licet jam, attamen exemplo edocuit. Quam vos interim Catholici perdocti venari anguillas! quam callidi opportunitatum captatores! mirum si observatores tam diligentes rerum gerendarum capti alijus frustretur eventus. Crediderim eqdem Ferdinande tantam te fortunæ suffragatione elatum, jam induxisse animum nullam posthac rem posse tibi intervenire tantam, quæ ordinatam conatum rationem vel turbare, vel impedimenti objectu remorari valeat. Verum instabilis fortunæ mobilitatem, tum immensam divini Numinis sapientiam (felicitate putato corruptus) haud dignè satis æstimare novisti. Hinc necesse est compleri admiratione omnium mentes, quicunq; media cogitaverint divinitus adhibita, quibus hæc tot Machinationum tempestates ac turbæ disjectæ sint ac disturbatæ. Itaq; paucis cum jam ipsa potentia Cæsareæ incrementa Auditores, & successus usq; consiliorum audiveritis, intererit quoq; & ipsas frustrationes notare.

Prima consilij tuis Cæsar remoram injecit Civitas Stralesundensis: hæc vix credibile dictu! victri-
cib⁹ Aquilis Imperatorij ausa portas claudere, minutarum urbium ferme minima. Ac quamvis tui in opugnatione nullum non laboris genus exudaverint, sentijt tamen exercitus tui Dux Wallenitenius, ut major sit pertinacia tutantis libertatem, quam opugnantis. Poteris vel hinc si libet, agnoscere Divinae dispositionis mirabilitatem; quidve tibi de sequentibus promitteres, cum nutritos tantam prosperitate successus tuos, testacea tam exigua vrbis mœnia abruperint. O insignis Divinae dispositionis clementia! O singularis initorum læcus consiliorum directio!

*Hactenus
Ferdinā-
do consi-
lia succes-
sere.*

*Quæ pri-
ma fru-
strat
Strale-
sundia.*

Regis Gustavi ope.

Et vigilantia.

Quid mirum est praesumpsisse te Stralesundia cogitatione, tanta multitudinis vim sustinere! mirum & quis iam perditis ferme rebus tibi Deus suggesserit, ut non sufficientibus oppugnationi auxilijs Danicis, nova tibi Suecorum subsidia parares. Tibi v. Augustissime Princeps GUSTAVE, quid dicam invictae virtutis superfuisse; cum licet gravissimo occupareris bello Polonico, ausus fueris novae tamen defensionem urbis subire, ac veteres molestiarum curas recenti onere cumulare. Scio varijs in Senatu tuo agitatum sententijs, suadentibus quibusdam, ne permitteres copiarum tuarum vires, per dissita regionum dispersas debilitari. Verum haudquaquam tam facile potuit animo tuo, divinitus credo praemonito persuaderi, ut tantum opportunitatis momentum manibus elabi sineres. Romani omnium quae gesserunt unquam bellorum maximo, Punico secundo occupati, & ad Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, tribus gravissimis cladibus affecti; tamen novas cum Philippo Macedonum Rege, alijsq; Populis expostulationes ingressi sunt; ut hinc proclamarit Livius, Adeo etsi bellum ingens in cervicibus erat, nullius usquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua quidem effugiebat. Idem & ego de te usurpare possum, etsi undique bellorum pressuris premereris, nullius tamen unquam rei curam, prudentiam tuam effugisse. Igitur is secutus est providentiae tuae fructus, ut improvisa hac Stralesundiae defensione, Imperatoris intentio aptandi sibi littoris Pomeranici, miranda dexterritate interturbaretur; tuaque praecipua ope primus consilij eius inijceretur error.

Secundo

Reliquos Ferdinande conatus tuos, firmatamq;

de

de successu Polonici belli opinionem, alio ducentia fata congruenter sane fecellerunt. Tu humanitatis rem ponderans merito tibi videbaris temeritatis duxisse, mota a Rege nostro in Poloniam adeo decantatae roboris gentem, hostiliter arma. Accessit & ipsa ventosae Nationis inconsiderata superbia, contemnendiq; hostis, id est nostri, vanitas adeo ferox, ut vel hinc haud vano augurio exitium te Sueciae praevidere certo certius putares. Ergo premendam esse occasionem, ac sponte ad exitium currentis GUSTAVI ruinam, quibuscunq; juvandam modis censuisti; auxiliares Polonis manus suppeditandas ratus, quo vicinus lapsui gravius tandem laboretur. Sed non te spondebat expectationi eventus: quippe in Borussia exorta inter Duces tuum ac Polonum (sic volente Numine) perniciose de primatu contentio, nostris si non victoriam, quam Gustaviana peperit virtus, at certe majorem vincendi fiduciam dedit. Ubi nunc Polonus ille Palatinus, nescio quis, qui timore ac nimia gentis suae aestimatione furens, initio suscepti belli, eam pacis spem nobis gratificari voluit, supplicibus saltem ac deditis impetrabilem. Tandem didicisti Polone, contemptum hostis contemptori non contempto officere. Tandem quem tu ipse initio cum Rege tuo, ne principis quidem appellatione dignatus es, nunc non solum Regem, v. etiam militem fatearis necesse est. Glorietur licet Rex tuus.

Huc adsis domito vastator acinace Turca,

Huc ades & victam porriget Mosche manum.

Egit praecipites vos nostra potentia castris,

Et palmam duplici victor ab hoste tuli.

Nominis invicti nam deberetur ab inde

Gloria sola mihi? Dubitarem tu. inquit.

D.

N.

*alioferum
cecidit
belli
Polonici
eventus.*

*Auxilia
licet Ferdinands
subministrare*

*Ferox
impudentia
Palatini
Moscoviciensis.*

Ni semel atq; iterum me vinci posse probasset

Magnus hyperborea Rex Dominusq; plagæ.

Ita demum experimentum cepistis Poloni, & illud armorum vestrae gentis invictum robur, expugnabile esse. Latari insuper poteritis ac debetis, ipsos vos impetrasse pacis ferme conditiones eas, quas nobis impetrandas obtulistis. An fallor? fidem sanè faciet vel sola de vobis tam benè merita civitas Gedanensis, quam formulâ induciarum vestrarum exclusam, nostro relinquere arbitratui necessitas vos, ac nomine GUSTAVI, Maximi Regis Maximus Cancellarius hujusce negotij arbiter AXELIUS, illâ vi oris sui adegit: Atq; ita quidem adegit, ut haudquaquam vobis placere credam, arma vel imperia Gustaviana, Axeliana nec minùs arbitria rursus experiri; nisi adhuc fortè sit animus, quid cladibus vestris adijcere horum dignitati. Interim quemadmodum ignis obvias exurens sylvas, interveniente flumine abrumpitur: ita hâc tantâ confusione, rapidus armorum, ille tuorum Ferdinande cursus inhibitus, ac fermè subsistere coactus est. Nec tamen ideò de conatibus captorum perficiendorum tu quidquam remisisti; putabas talibus tentamentis constantiam tuam experiri velie Deos, quin etiam irritatus multò savior in instituto perstabas. Imò quò liberius nobiscum congredereris, Danicum bellum licet confectum, ad nihil tui profuturum, si pedem in Pomeraniâ figere GUSTAVUS posset, ad tempus servari opportunius tibi placuit. itaq; devictas hactenùs Provincias fermè supplici Dano, tu victor pacis causâ non tam reddidisti, quàm dedisti: quas fraude acceperit ille, aut dederis, dicere non est meum. Nos sanè animo suspi-

Ferdinandus Danicum bellum pace finit

suspiciosi commentabamur, quid hæc sibi vellet erga victum & adysæ Religionis hominè, tam subita & profusa largitio. Et disquirendum nobis erat, uter vestrum magis convenienter corruptus diceretur; vel enim tu misericors, vel ille desertor suæ Religionis appellandus erat; illud tuæ repugnans & naturæ & fidei, hoc illius tantum Religioni. Proindè quia faciliùs exui Religio quàm Natura possit, haud dubiè hoc velut inescatum dono heminem, aliquantum Papizare credidissemus, nisi firmiora de vicino sperare suavisset tam rara in Rege pietas; quam mihi vel ipsi tam portentosa sanctitatis symbolum, quamvis alia non suppetunt argumenta, sufficienter probat. An vana nobis hæc futura erit opinio, ipsum sat dabit tempus. Quibus ita compositis, abundè is sibi tamen strenuus Bellator videbatur: tu eâ exoneratus curâ, Pomeraniæ ac Mechelburgi loca undique versum, occupabas, oppugnationem Stralesundensem nunquam intermittebas, quò tãdem victa obsidionis pertinaciâ civitas, tuo subderetur imperio. Verùm sensisti, non minori apud nostros sollicitudine defensionem recepta in fidem urbis excubare. Itaq; immanis illa Ducum tuorum in Germaniâ circumquaque grassantium Tyrannis, tum erga deditos fides, miserandaq; oppressorum sociorum fortuna, Serenissimi Regis nostri arma exciverunt. Cæсорum sanguis ultionem exposcebat: illustrium personarum inaudita despoliatio opem implorabat: pietas ipsa jam vicem prostituta religionis dolens, vindictam reqrebat: Religionis ipsa nefariè surrepta libertas assertorem flagitabat. Neq; quisquam fuit nisi ferreus Saxeusq; quem nò intoleranda hæc suppressionum duritas af-

Pertinax in proposito Gustavum in Pomeraniam trahit.

Causa
suadentes
expeditio
nem.

ficeret, omnesq; miserandis sub exemplis manentis se quoque calamitatis admoniti videbantur. Ergo tandem miseretur tantis miserijs Deus, sollicitis cunctorum precibus venerabatur. Credo itaq; Potentissime Rex GUSTAVE ADOLPHE, Domine mi Clementissime, ut ad te jam tandem deveniat oratio mea. Credo inquam, te quoque pro insita pietatis ratione, devotissimis suspirijs, ac ne vereor quidem dicere lacrymis exoptasse ac vovisse, ut tandem exorata Numina oppressis cultoribus suis liberatorem, ultorem calamitatibus excitarent. Credo etiam statim sensitse te tacitos cordis motus, instinctusq; haud naturales, monentes ut quo te vocarent fata, afflatus divini impellerent, hortaretur pietas, debitaq; Religioni duceret fides, interritus intrepidusq; sequereris. Accesserunt externi impulsores, Legati Regnorum, Gallia, Anglia, Hollandia, adminicula ac nervos gerenda rei, pecuniam ac militem nomine Principalium suorum spondentes: Modestiam insuper tuam oneroso Generalis Titulo, onerantes verius, quam ornantes. Deterrere te ab ingressu tanti negotij poterant, cum serius amor pacis, tum bellorum haecenus a primordio imperij continuatorum nusquam interrupta series: Quippe verebaris nonnihil dum veteribus perpetuo bellis nova accrescerent, ne si tot nexibus tot q. catenis majus indies Bellorum agmen extenderetur, tandem subditi exhaustis viribus enervarentur. Verum omnibus rationum humanarum momenti Religionis intuitu facillere jussis, quorumlibet periculorum tempestates, vel cum vitæ fortunarumq; dispendio subeundas decrevisti. Ac tentatis Legatione p[er]missis animis

Ferocia

hostium

hostium, ubi pertinacem ferociam animadverteras, *VVallen-* utpotè quibus *Dannatum vivere paci;* Tuæq; adeò *M. tis steniana.* despectum honorem, ut ne Regio quidem nomine dignareris, sensitse jactam jam esse aleam, vincendum tibi esse aut moriendum. Igitur fatali urgente die, *Gustavus* preparatis qua tempus monebat, ac *abitu* Ordinib⁹ Regni *preparat* convocatis, consilia profectiois tuæ exposuisti: fragilitatis humanæ haudquaquam oblitus, incerta casuum animis eorum reputanda dedisti: Regimen Senatoribus, mutuam ordinibus concordiam, præceptionibus cuique salutaribus commendasti: ac quid multis? tanquam postremum visurus, ita supremæ vocis affatum impertijsti. Quantos tunc animorum motus cernere erat! quanta suspiria gemitusq; virorum! scio haud adstantium quenquam potuisse, faciem tuam tanto rubore ac lacrymis fermè suffusam, sine lachrymis intueri; quas dederunt non minus liquidæ sapientissimè fatorum veritati ac statui rerum, quam exuberanti amori tuo. O Suecia! cave yba Maximi Principis tui incuriosa trāsmittas; reminiscere dictorum, eaq; memoriæ penitus infigenda committe? Sed quò nimium affectui indulgens labor. Feceras jam naves conscendere militem tuum, *Apellis* classemq; ancillata ventorum vis ad Pomeranorum *classe Po-* littora flatu secundo detulit; ubi excensionem, *merania,* nonnihil vis hostilis morabatur, nondum experta *& Cesa-* militis tui robur: haudquaquam tamen impetum, *rianos a-* diu sustinuit, quin retrò compulsâ, liberi tibi appul- *minim* sus exiensusque copiam præberet. Itaq; expositis in *victor ex-* terram copijs, non diu ad extima regionis haesitabundus *pellit,* confediti: interiora quantocyus penetrare consilium fuit, ratus id deputandum in lucro, quicquid celeri.

Gustavus
Franco-
furtum
ad Ode-
ram occu-
pat.

Unde re-
liqua in-
clinant.

formâ & cætu gaudiorum exultantium ac lætitiæ ge-
fientis abesse debet. Interim tuarum Maximè Prin-
ceps victoriarum cumulus, novæ denuo ingentis Lau-
rea consecutione aggeratus est; sic disponente fortu-
nâ, ne cuncta timori deberes hostium, quin aliqua
etiam sibi virtus illa vendicaret tua. Quippe vali-
dam munitionibus urbem Francofurtum ad Ode-
ram armatus occupasti, tantâ hostium strage, ut
fermè peremptorum cruore vicinus urbi fluvius in-
ficeretur. Quæ munitissimæ civitatis expugnatio,
quanti ab hostibus æstimata sit, cognitum est Pap-
penheimij ad Bavarum literis; quibus ingenuè ac fer-
mè ad miseriam usque, præsentis statum belli deplo-
rat, & vicem captæ urbis non tam ipsius, quam suo-
rum nomine serio deflet, utpote quibus in ejus deten-
tione nervi ac fundamina belli sita fuerint. At se-
cutæ sunt confestim Metropolis ac Reginae suæ con-
ditionem urbes reliquæ, Landesberga, Brandenbur-
gum vetus, Spandovia, Havelberga; ac si quæ sunt
alia oppidorum Pomeranicorum Mechelburgico-
rumq; nomina. Videbatur enim cunctis extrema fo-
re dementia claudere portas exercitui, cui tam præ-
valida Francofurtensium mœnia obsistere nequivis-
sent. Sed nec tibi diutiùs consilium fuit per ignota
urbium vagari, nec M. ti tuæ satis videbatur con-
gruens, minutis oppidulis vel adeundis (adiisse n. vi-
cisse fuit) tantum impendere perituri temporis, quod
summæ rei conficiendæ adhibere, ipsa festinaverunt
fata. Studium tantum utriq; id est, & tibi & hosti
fuit, alterum circumire dolis prudentiâq; tentare: ac
quemadmodum exercitati gladiatores non velut a-
mentes furore & præcipites alter alterum irruunt,
sed

sed levi gladiatorum reciprocatione, opportunitate ictus
in vicem antevenire nituntur; ita vestrum uterq; vetus
militandi, de commoditate præcipiendâ laborabat.

Sed jam tandè fatalis ille hujusce victoria dies appetebat. Itaq; *Tillius*
hostis sua in Saxoniam præproperâ irruptione, si nihil tibi magis præ-
fuit, certè omnem societatis tuæ jam apertius ambiendâ dubita-
tionem Saxoni excussit, hominemq; tam diu cunctatorem, & eâ-
propter à multis malè audientè, sua cauta illa nimium nudare con-
filiâ, hæc sive læsenti, sive læcessitâ injuriâ coegit. Nec interim
Tillie vel cunctabundus, vel quidquam hæc multiplicatione ex-
ercitus tui terribatur, credo quia putabat is viris te non viri-
bus auctum; quin properavit etiam & certus victoria campum
jam cedibus tuis delegit. Verùm visa est res tibi multæ com-
mentationis indigere, patereris ne sub unum fortune ictum totius
fermè nominis Evangelici vires in discrimen adduci: quod tu pro-
positum curiosè, ambiguus spei ac metus reputasti. Nam quaro
tibi vicissitudinis humanæ, universa futuri discriminis facies in-
oculis erat: ac in sollicitudinem versâ fiduciâ, more illius Magni
apud Curtium, illam ipsam fortunam quâ aspirante res tam pro-
sperè gesseras, nec injuriâ, verebaris. Contrâ socius, pugne solici-
tus Suasor erat, irritator credo factus injuriâ ademptæ jam sibi Me-
tropolis; eòq; tantam vim hostis, insolens ferendæ violentiæ vindi-
care, cum periculo suorum vel solus nitebatur. Sed tandem tibi
quoq; metum spes ademit; periculosius differri prælium existi-
mabas, ne quâ militibus desperationis, socijs vè timoris oriretur su-
spicio. Igitur nec detrectasti pugnam, quin maturatâ exerci-
tium conjunctione contrahere etiam ausus, necessariam jam dimi-
cationis aleam promptè sibi biturus. Stabat in longitudinem fer-
mè dimidij miliaris extenta hostilis acies, per occupatos disposita
tumulos, commoditatibus & aëris, solis, lociq; antecaptis. Quæ
viso nec tu angustiorem exercitui tuo capis locum, maximog; mi-
litum ardore de primi honore loci contendentium, ordines prælio
quàm

Tillius
Saxoniam
irrupit.

Gustavi
ante præ-
gnam de-
liberatio.

Oratio ad quàm ociffimè expeditiſti. Circumvectus inde milites ſignaq;
Milites. Scipionis apud Livium fiducia, hoſtem tuis oſtendebas præ-
damnatâ ſpe æquo dimicandi campo, captantem tumu-
los, loci fiducia, non virtutis aut armorum, ſtare in con-
ſpectu: ſed altiora ſapè mœnia transcendiffe ipſos, nec tu-
mulos, nec arces, ne mare qdem armis obſtitiffiſſe tuis: ad id
fore altitudines quas cepiffent, ut p præcipitia & præru-
pta falientes fugerent; eam quoque te illis fugam ope
Numinis clauſurum. Gothicam inſuper majorum vir-
tutem, armorum juſtam religionis ſpeciem, ingentia ſpei
Conſiliis, gloriaq; incitamenta, referebas. At moræ impatiens ho-
ſtis conſeſtim equitatus ſui robur, quo ſe quàm maximè præſtare
arbitratur, in dextrum cornu tuum inmiſiſt, quod ipſum prudenti
aſtu Equitibus tuis immiſti tenebant ſclopetarij; à quibus feroci-
entes Tilliani alacriter excipiuntur, moxq; ſtratagematis percuſſi
novitate vertuntur in fugam. Nec ſuſtinuit pedes vertentis ſe
Equitis ſui contumeliâ, quin furibundè deſiliret etiam de tumulo,
adorireturg, poſitam à ſiniſtris Saxoniorum aciem, tanquam irri-
tatus quia viſi officeret fulgor armorum, vel experturus an ſoli-
di quid ſubeſſet tantum de ſe promittenti auro. Capeſſit initio
pugnam viriliter junctus invicem Saxonicus miles, ſolidæq; pro-
fert indicia virtutis, uſq; dum arte hoſtis, Equitum ſubſidio nuda-
ti pedites, diſſipatis partibus ſumma labaret. Nec ulla turbatis
niſi in fuga ſpes, quàm dum moliantur, ſarcinarum direptionem
etiam tuarum Magne Rex, ſuadebat victoriae deſperatio; & ru-
morem caſi ex ecitus, tuæq; adeò mortis ſparſit fugientium pavor;
quia ſumma tuæ virtutis opinio fecit, ut ne quidem dubitaret ul-
lus, rebus ut jam ijs videbantur fermè proſtigatis, quin mente ſem-
per invictâ, decus honeſta mortis ignominioſa & incertæ fugæ præ-
ferres. Sed tibi nondum ad Triarios res redijt: igitur conſpectâ ſo-
ciorum inclinatione in hoſtem feſtinabiſſus ſigna vertiſti, inſilien-
temq; tergis cedentium, parte Equitum peditumvè occidit cir-

Fuga
Saxo-
rum.

cum;

cum veniſti. Sic in victores capta cædes integrat prælium ab uno
latere te ipſo, ab altero urgente Generali tuo GUSTAVO HORN.
Acceſſit ſanè & cruentum certamen erat, utroq; exercitu tot victo-
riarum conſcientiâ, & præſumptâ virium fiducia, plenis pectoribus
ardente. Ancipiti proinde Marte ac dubio eventu præliatur, am-
biguum utriusq; palmae diſcrimen faciente pertinaciâ; donec tan-
dem poſt horas quinq; obſcurum victoriae judicium hoſtes effuſâ
Eventus prælij.
declaraffent fugâ. Quantum tunc caſorum corporum nume-
rum cernere erat, ipſe comprehenſus ambitu exercitiû locus cruo-
re inundatus, campi circumquâq; patentes de victorum offib; ſtra-
ti conſpiciabantur. Imponat mihi neceſſe eſt inſubida eſtimatio
virium mearum, ſi voto ſaltem vel cogitatione præſuſerim tot
ludibria fortune, fugas, cædes, clades, mortes aſſequi, nedum digno
verborum cultu animis Auditorum proponere. Ipſe mediuſidius
mihi literæ ſeculi noſtri obſtupeſcere videntur, imò ſubducere ſe
famulatui, ubi loqui cogantur pertinaciam in dimicando, quàm
inſtruxit tam diuturni ſceleris tam longa molitio. Nam non a-
liquot menſium nec annorum negotium fuit, quin ut ille inquit,
propemodum ſeculi res in unum illum diem fortuna cumulaffe vi-
detur. Decantant nobis vetera Annalium ſcripta innumeras
Imperatorum pugnas: vix tamen ullam reperiri credo, quæ huic
noſtra adæquari poſſit, nedum præferri. Fateor enim me ſcri-
puloſâ perveſtigatione functum, ut memorabile aliquod prælium paratio-
indagarem, quod comparatione ſuâ huic noſtro luminis aliquid ne-
addere poſſet. Sed cujuſq; momenta ubi penſuſ trutinaffem, tan-
tùm abſuit ut majoris aliquod operis invenirem, ut ne ſupparis
quidem conflictus ratione copiam habuerim. Contemplantini
modò P. A. intentius qui hic Duces, qui milites, qui hoſtium a-
nimi fuerint; videbitis ſanè quàm verborum horum gratiam nul-
lus ego faciam authoritati. Ac primùm in ipſis utriusq; Ducibus,
ſingularè quid peritiæ militaris etiam illi qui ad alia cacutiunt, Guſtavi
vident. Ipſius Regum Principis GUSTAVI noſtri adeò porten-
*Excellen-
tiâ Du-
cum.
Guſtavi
Regis.*

E 2

toſas

rosas belli artes totus jam orbis loquitur ac stupet. Et quæ vel maxima hujus temporaria felicitatis pars, est nihil ubi vis Gentium homines nisi Gustavum & querunt, & mirantur. Suo igitur merito nomen is sibi militis vendicaverit, qui innutritus ferme castris, ab usq. etate primâ, quot alij militando stipendia, tot sibi vincendo peperit triumphos. Si antiquus ille Caesarum mos adhuc vigeret, Nominum ex devictis gentibus usurpandorum, non minori gauderet is Titulorum cumulo, quàm vel Justinianus vel Tiberius. Danicus, Ingricus, Moschoviticus, Polonicus, Livonienus, Prussicus, Germanicus indigaretur. Quibus licet appellationibus insigniri viventi moderatio recuset, ijs tamen ornamentis meritis gloria ejus fama apud posteros minimè fraudabitur. Non obtundam pluribus vos Aud. molestus re tam manifestâ.

In ipso sed hostium Duce, recentia virtutis bellica specimina jam ante prædicavi. Scio enim victorem haud gravatè laturum, veris laudibus non defraudari victum; cum ad ipsius pertineat gloriam quam maximum esse, quem tot passibus præcedit. Et sanè inter alia fortitudinis ejus indicia, si Pæni illius ingressè Italiam de occurrente sibi Scipione judicium sequamur, eminet id, quod suffragio totius Catholicae Ligæ is potissimum non electus, sed delectus sit Imp. adversus Regem eum, cujus arma etiam ipse hostibus fama ut invicta celebravit. Video & ipsam Augustiss. Regem nostrum, nō potuisse non admiratione viri imbui, cum audiret per tot annos bellantem nusquam destititione fortune laborasse. Nec M. tas ejus, sat novi, judicia vulgi Togatorum, id est, nostra quidquam moratur, cum Martis alumnos vix pari estimatione nos ac Duces, metiri possimus. De pictore nisi artifex non judicat, inquit Plinius. Et sic fuere Duces. Militum verò exercitam quid multis ostentare verbis refert virtutem, quippe qui tot bellorum rudimentis firmati, facile militiæ jam laboribus assueverint. Agmen hostile quis dubitaverit robur fuisse ac milita flo-

etia florem totius Germanici imperij, utpote quos nullis non belli generibus Dominatus Ferdinandi ac reipub. exercuit fortuna. Nostris militis vim ac fortitudinem si nulla res alia, ipsa satis de tantis hostibus victoria, non solum ostendit ac manifestat, verum etiam aeterno laudum præconio decantabit & decantat. Quanta autem & ab hostibus concepta fuerit animis victoria fiducia, memoratu est difficile ac operosum. Nam non solum victoriam animo præcipiebant, v. etiam quod postea cognitum est, futurorum curiosi, de occupationibus civitatum, presidiorum dispositione, prædæ ac præmiorum participatione, jam perfectum ac destinatum habebant. Igitur quæso P. A. pugnae rationem altius perpendite, pertinaciam pugnantium, concurrentium fiduciam, oculis animorum subjicite. Certè quisquis vestrum paulo fuerit spectatior, etiamsi antiquas etiam historiarum memorias replicaverit, nusquam tamen alibi (nisi me fallit animus) reperiet, tam peritis utring. imperatoribus, tam durato milite, tam æquis viribus, eâ paritate armorum, tam patenti campo, tam aperto Marte, tanto animorum ardore, præliatum fuisse. Mibi ubi hæc cuncta simul adfuerint, vix exemplum licuit habere. Quanto igitur solidior Reg. M. tis nostræ gloria putanda est, qui tantam de tanto hosti: v. Etloriam, virtute suâ, non loci vel insidiarum beneficio, nec tamen sine sudore retulerit. Quippe vix suffecerit mihi lingua ad e-

narrandum, quibus ille periculis, laboribus, curis, molestijs intervelitandum defurctus sit, cum præsertim latissimum campum pulvere, discursu, crebrâ equorum mutatione attolleret: Militum animos concionabundus circumiret, ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce adesset; miraculum hosti, exemplum suis. Credo etiam in multam noctem trahentem pugnam, in ipso loco velitantem ac jam defatigatum procubuisse, ac inter morientium ac demortuorum cumulos, quasi moribundum pernoctasse. O Nox memoranda, nobis certè albo calcælo notanda. Fuit igitur hæc talis pugna, qualem nunquam ulla præcorum dedit

Præcon-
cepta spes
hostium
de victo-
riâ.

Gustavus
ipse pu-
gnas im-
peratori-
um pulve-
rem sudo-
remq. in-
defessus
miseret.

Tillg.

Præstan-
tiâ Militi-
um.

temporum ætas; Qualem sanè nostrum omnino hoc seculum nusquam vidit. Certamen fuit de vitâ, libertate, Religione, ac cultu Deorum, prætorum victoriarum famâ, Nominis existimatione, imò quidquid usquam humani divinivè extat, ultimi discriminis aleam adibat. Quid igitur mirum, si patentes in Miliaris longitudinem campi undique versim cadibus contecti, infesta victorijs terra, tot caesa hominum millia, tot signa militaria capta cernerentur. Nequeo ingentis hujus victoriæ relationi jam amplius superesse, cum inusitata mihi rei cogitatione percusso, & tam prodigiosi certaminis eventu obstupefacto, vocem admiratio includat.

*aversio
ad Deum.*

O incredibilis æterni Numinis bonitas! O ter Opt. Maxime, Venerande Deus! Tibi sit laus, gloria, honos in secula, qui tantorum nobis imminentium periculorum discrimina avertisti: tam nefarios Jesu vitarum conatus, tam nefandas machinationes & insidias fefellisti: nostras v. actiones ac consilia clemens in gloriam nominis tui direxisti, gubernasti.

Ad Regem.

Te v. summe Regum GUSTAVE ADOLPHE, Invictissime, Gloriosissime Princeps; te inquam Victor inclyte, Triumphator Anguste, quibus verbis, quo ore appellem? cum certus sciam nunquam ita magnificè quenquam quidquam dicturum, virtute id M. tas tua longè quin anteveniat suâ. Quippe qui tot pro Repub. patriâ exantlatis laboribus, tot exhaustis molestijs, cum ne cogitandâ quidem gratiâ cives præstitis jam meritis respondere possint, tu tamen devotus Suecis ulterioribus factis beneficia tua auctum ire pertendis. Sed nec fors tua redhostimentum desiderat, nec Gustaviana indoles aliud exposcit, quam seriam animi devotionem, nominisque nusquam intermorituri memoriam. De quâ quidem merito tuo securus esse poteris cum talia futura

futura gloriæ monumenta in animis cunctorum erexeris, quæ nulla usquam ætatis longinquitas obliteratura est. Posteritatis tantum intererit exemplum quod imitentur habere: quod licet nullâ sui parte minores afsecuturi sunt, cum præsertim Suetici imperij sine æmulo ad ortus occasusq; venturi defensor & conditor extiteris; convenit tamen ut futuri Principes non q. à Magistro, sed sub exemplo præmoneantur quâ potissimum viâ possint, si non eandem, at supparem ad gloriam niti. Quapropter arbitror Deo Optimo Max. nixo genu procumbendum & continuatis precibus supplicandum, ut aliquem ex hoc collecto Sueticæ juventutis flore excitet, ac condignis instruat donis, qui Pliniano muneri idoneo, tibi Imperator noster, tuas veris laudibus commendare virtutes queat, ac per hoc posteris velut e speculâ, lumen quod sequantur præmonstrare. Qui item more Senecæ, quodammodo speculi vice fungi possit, ac te tibi optime Princeps ostendere, venturisque seculis literarum præconio inculcare. Interim tu Principum Maxime, perge quâ capisti viâ ad æternitatem niti, potens eris etiam superstes tot rebus gestis, bonæ mansuræq; famæ præsumptione perfrui, certusq; posteritatis cum futurâ vivere gloriâ.

*Gustavus
exempli
futurus
posteris.*

Macte ergò ò Heros animisq; potentibus aude,

Europa Reges eripuisse jugo.

Nunc te fata vocant celeres spondentq; triumphos,

Nam vindex causa tu melioris eris.

Nec tu mihi exercitus Casareus Dux Tillije Comes tacendus videris. Miror a. quæ te dementia ceperit, dum ausus fueris suasisse animo tuo, ut jam fermè ætate confectus Imperatorium munus, (sive ut pro more loquar) Generalatum assumeres? Demiror meherclè te tanta

*Ad Tillie
M. D.*

pru-

prudentiæ virum non veritum fuisse fortunæ tuæ? quæ licet conatibus tuis usq; benigna affulserit, potuisti tamen novisse, ac debuisti, quemadmodum neque eadem ista aetate tu, ita nec illam eodem statu perpetuo duraturam; cum præsertim conversionis ejus volubilitas, nulli ulquam rei fidere jubeat. Supervixisti jam tot annis gloriæ tuæ, eamq; factis in id fastigiū deduxisti, ut si de partâ magis fruendâ, quam novâ gloriâ acquirendâ laborasses, laudatus usq; ad rogum perenni celebratione mansisses. Nonne te suis sat docere poterant exemplis, veteres illi Romanæ Reip. Principes, Cincinnatus, Camillus, Fabius Maximus, ut quam enixissimè etiam infirmam rebus gerendis senectutem tuam, muneribus civilibus, præcipuè bellicis subtraheres. Fructum igitur stultitiæ ac præsumptionis eum tulisti, ut sinister hic unius pugnæ eventus oblivionem victuris aliâs laudibus tuis induxerit, temeritate etiam anteriorem nominis famam obtenebrante. Unâ interim re felix vel propriâ confessione judicandus: quemadmodum nihil fuisse in Antiocho speciosius memorat ille, quam quod à Romanis victus sit; ita tibi vel in malis indicium fortunæ indulgentis nullum spectatius, quàm quod fata, a quo vinceris GUSTAVUM ADOLPHUM esse voluerint. Hinc meritò vel ipse dixeris,

Disce posteritas, nec me contemne jacentem:

Laus mea sit Sueci succubuisse manu.

Ad Patri-

am.

TU V. SUECIA, Patria mea antiquissima & sanctissima parens, exulta, exili, triumphâ læticiâ. Admirandæ hujus victoriæ diem perenni devotionis cultu celebratum posteris commenda. Deum Opt. Max. seriâ adorationis pietate lætabunda venerare, quod fermè jam devoratum te faucibus hostium eripuerit, ac tandem precibus fatigatus timori tuo, libertati ac periculis succurrerit.

ferit. Nec est, si modò supplici ad eum preceatione fueris defuncta, quod de reliquorum successu desperes. Nam si oculos per præsentem Europæ statum intenta circumferas, videbis quam omnia conatibus tuis opportuna, consilijs hostium disturbatis, is ipse substraverit. Essent tibi sanè extimescendæ Catholicorum vires, si tutò possent ad auxiliij societatem pro nutu convenire: Sed distinent tantum robur domestici hostes, immulsi ab eo, cui soli nostra est curæ salus. Polonicum illud bellum quod ad frangendas vires tuas excogitatum fuit, ecce contra omnium opinionem cecidit aliorsum, cum inducijs Polon^o tuis circumscript^o jam sit, ne possit Catholicis in hoc Germanico bello debitum ferendæ opis præstare; ita tuis cuncta captis accommodat Deus, etiam cogitata versutè. Potens ille Hispaniæ Rex, terrore Gallico, tum armis Batavicis detinetur. Casar ipse Ferdinandus Bello Italico occupatus, quod non ita exiguum virium ejus absumpserat, insuper etiam armis Ragotzi Transylvaniæ Principis infestatur & atteritur. Tibi v. auxilio sunt Gallus, Anglus, Belga, omnes fermè Evangelici Principes Germaniæ, præcipuè Electores Imperij Saxo & Brandenburgicus, Landtgravius Hassiæ, Duces Vindobonienses ac siqui sunt alij ordines, civitates ac Status Imperij Germanici. Credo etiam brevi fortassis fore, ut orbis emporium illud Venetia tibi jungatur, futura ingens ad reliqua pondus. Quæ omnia animum tibi facere debent cum alacritate in incepto persistendi, ac quâ poteris fide, pro cultu Divino ac libertate pugnandi. Et quamvis incommoda tibi haud obvenerint exigua, quippe quæ indiscreti bellorum comites sunt, debes tamen non solum ea tantarum rerum effectui leviora ducere, ac patiens tolerare, & cum etiam gratulabunda insup lætari, dignam

Quæ de belli successu optima sibi quævis promittens debet.

Clarum
exteris
Suecia
nomen
Gustavia-
na virtus
fecta.

dignam à Deo habitam esse te, quæ nominis ejus gloriam
sive morte assereres, sive victoriâ propagares. Remi-
niscere quoque superesse tibi Regem *Gustavum Adol-
phum*, cujus invictus in periculis animus ope divinâ fultus,
nusquam dum suppetet vita, pressuris tuis defuturus est.
Qui toties telis ac vulnerib⁹ petitus edocuit, tibi se etiam
spiritum suum impendere non gravari. O beata Princi-
pe tuo Suecia! recognosce quantum tibi ex virtutibus
ejus ac inauditâ industriâ apud exterarum Gentes inclytæ
claritatis accesserit. Maximis rebus gestis amplissimum
nomen tuum non vicinis solum populis, v. etiam longè
disitis, imò Barbaris quoque nationibus notum fecit.
Nonne duos circiter ante annos, Tartarorum Imp. Le-
gatos, tuo in gremio vidisti, Regem tuum velut Numen
aliquod humi prostratos venerantes. Audi exterorum de
gloriâ tuâ testimonium. Sic fatentur ipsi;

Omnis ad Arctos virtus proficiscitur oras,

Præ reliquis regnis Suecia nomen habet.

Cuncta alia in præceptis labuntur. Suecia sola

Lucida conspicuum tollit ad astra caput.

Non secus ac virtus ferrum Magnetica ducit,

Sic ad se illa trahit quicquid ubiq; boni est.

Sed cui augmentum nominis tui nisi Regi tuo debes, vir-
tutibus id suis longè merenti. Ipse loquitur;

Hoc mihi debetur: quis enim præstantior audit?

Quis mihi præferri Marte Togæve potest?

Heroes inter veteres, nostrosq; supremum

Obtineo nullo non tribuente locum.

Tantum alios superat virtus & Gloria nostra,

Quantum Sydereas splendida Luna faces.

Hoc modo te facis nobilitatam suis Princeps tuus, exem-
plar illud virtutum, ac militiæ portentum toti terrarum

orbī

orbī commendat. Sed quo redhostimento tam divina
Regis beneficia remuneraberis? facile contentus erit a-
more, fide, obsequio, veneratione: Reliquum laboris pro
animi moderatione tibi, id est, Patriæ vix imputaturus.

Tu quoq; nostra Parens Academia, gloriare de nu-
tricio, tanto Rege ac Domino: qui ut omnium prima-
rum artium, ita raræ in literas munificentia Princeps
est sanè incomparabilis. Vide ut is omnia sibi postpu-
tarit esse præ tuo commodo, dum impensis te, tantaq;
dignitate & ornarit, & adhuc indefessus ornat. Labo-
ra itaq; ut ei placeas: effinge aliquid sedula officij, quò
gratitudinis tuæ in Regem extent monumenta.

Hæc fuere Aud. quæ pro dignitate gloriosa Lipsen-
sis pugna non augenda, sed suspicienda dicere potui. Vi-
cta est Potentia Ligæ, victa fortuna Ferdinandī, victus
Machinator doli falsus Jesuitarum chorus. Vicit is,
qui solus vincere meruit; futurus semper victor (adsit o-
mini Deus) quia nunc vicit. O Victoria, Victoria! tu fir-
missima secuturis rebus fundamenta substruxisti! in te
vertisse videntur omnis fortunæ nostræ, libertatis, imò
vitæ momenta. Igitur tantò erit nobis memorabilior
tuus hic dies, quanto infestioribus ab hostibus periculum
cervicibus impenderit. Sed quid ego de hæc solum victo-
riâ memoro? ecce iterum novarum quotidie nuncijs af-
feruntur! sed succumbo jam oneri Aud. ac finem sermoni
faciam, ne longius insistenti tandem affectus intem-
perantia vocem supprimat. O summe ac omnipotens
Deus! serva S. R. M. tem nostram tot circumstantibus pe-
riculorum casibus superstitem, ac tandem pacatis rebus
incolumem, Patriæ, nobis, sacris, profanis restitue. Opus
etiam quod in nobis capisti, ad divini Nominis tui glo-
riam nostrum emolumentum perface, dirige, absolute.

Ad Aca-
demiam.

Comple-
xio.

D I X I.

In disertissimam, Ornatissimi, Humanissimiq; Juvenis,
Dn. PETRI SMALTZII, Hospitis sui dilectissimi,
ORATIONEM,
De divina Invictissimi Regis GUSTAVI ADOLPHI victoria,
Contra Casarcanum & Ligisticum exercitum, in pugna
Lipsensi gloriosissime obtenta.

EPIGRAMMA.

Te, GUSTAVE potens REX & fortissime, dignis
Petrus Smaltzius hic laudibus ornat ovans:
Proq; DEO, Regis GUSTAVI, reddit, ADOLPHI,
Ingentes grates, prosperitate, BONO.
Cunctaq; Petre, petis GUSTAVI, semper, ADOLPHI
Regis ut ex animo vota secunda stuant.
Omnes hoc quoq; nos facimus, faciuntq; Lutheri,
Germani, qui de nomine nomen habent.
Wittenbergensis docet, ad me scripta, Jacobi
Martini magni, pagina nuper idem.
Hic meus olim praeceptor, REGEM Gideoni
GUSTAVUM confert assimilataq; pio.
Caletus & missum Germanis dicit, ut ipse
Afflictis rebus robur opemq; ferat.
Huic Deus immisit robur pectusq; virile,
Hostis ut haud timeat tela minasq; feri.
Roborat hic populum, dubio terrore repressum,
Compefcens fremitus, dum furit hostis ATROX.
Fortiter imperij, VESTER, defendit habenas,
REX, Ecclestola restituitq; decus.
Hac latabundus mihi dat nova Doctor, & optat,
Ut GUSTAVUS REX vivat ovetq; diu.
Jungimus huic nostrum votum: GUSTAVUS ADOLPHUS.
REX VALEAT, VIVAT, VIVAT ADOLPHUS, Amen.
Script. amicissimâ manu
L. WALLII, D.

6
Coronarium

HOC

SERENISSIMO ET POTENTISS.
Principi ac Domino, Dn.

GUSTAVO-ADOLPHO,
Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; &c.
REGI,

Magno Principi Finlandia, Duci Esthonia &
Carelia, Domino Ingria &c.

IN

Faustæ acclamationis symbolum,
devotissimæq; gratulationis inditium,

Subjectissime offert

SYLVESTER IOHAN. PHRYGIUS
P. Casarius, Sup. Schaidviensis.

Anno Christiano M. DC. XVII.
17 Octobris.

HOLMIÆ,

Excudebat Christopherus Reusnerus.